

*Eneas Silvius Piccolomini, Vier Papstvitē*

*Der folgende Abdruck beruht auf einer Nachkollation der Handschrift Bayerische Staatsbibliothek München, Cln 14134 fol. 105v–107r (neu 107v–109r). Der Schreiber ließ bisweilen Buchstaben aus, die hier in spitzigen Klammern eingefügt werden. Offenkundige Versehen, wie Buchstabenverwechslungen (u/n) und Ähnliches, werden nicht verzeichnet. Die Schreibung von u und v wird normalisiert, Eigennamen werden großgeschrieben.*

[fol. 105v/107v] Angelus Corarius, cui postea nomen Gregorius XII<sup>us</sup> fuit, mortuo Innocencio VII<sup>o</sup>, qui Bonifacio nono successerat, summum pontificatum adeptus est. Hic Venetus fuit nobili apud suos loco progenitus. Scisma tunc in ecclesia vigeat; namque cum Gregorius XI<sup>us</sup> natione Lemovicensis, qui apostolicam sedem ex Avi<ni>one Romam reduxerat, nature debitum exsolvisset<sup>21</sup> atque Urbanus VI<sup>us</sup> natione Neapolitanus<sup>22</sup> per cardinales surrogatus fuisset, Gallici, qui tunc in collegio erant, quia non iure sed vi sors in Urbanum cecidisset, ex curia recedentes cardinalem Gebennensem, qui Clemens VII<sup>us</sup> est appellatus, in summum pontificem elegerunt. Cui postmodum Petrus<sup>23</sup> de Luna, qui Benedictus XII<sup>us</sup> (sic) nuncupatus est, in apostolatus administracione successit. Inter Gregorium ergo et Benedictum cum divisa esset ecclesia, per cardinales, qui unioni erant affecti, multum elaboratum est, ut ambo apud Saonam<sup>24</sup> Ligurie urbem convenirent paci ecclesie consulturi. Quod cum frustra temptatum esset, apud Pisas in Etruria per eosdem cardinales concilium est coactum, in quo tam Benedicto quam Gregorio depositis, quia iurantes pro pace ecclesie velle papatui cedere iusiurandi religionem neglexerant, Petrus de [fol. 106r/108r] Candia, qui vocatus est Allexander, in apostolatus specula est suffectus. Gregorius vero Senas venit ibique diu mansit, postmodum apud Malatestas sese recepit, cum iam et Ge<r>mania et Ladislaus Apulie rex ab eo ac tota fere Italia defecisset. Exinde cum sinodus Constanciensis celebraretur iamque universa illic ecclesia convenisset, Carolum Malatestam virum prestantem illuc destinavit ac per illum summo pontific<i>o cessit, felic<i>or multo, si tunc papatum resignasset, cum illum retinere posse credebatur; at hic, dum hominibus potius cedere vult quam deo, cardinalis inglorius vitam finivit.

Baldasar Cossa, qui et Johannes XXIII<sup>us</sup> est appellatus, Neapolitanus<sup>25</sup> natione fuit mortuoque apud Bononiam<sup>26</sup> Allexandro, cui legatus ipse preerat, ad summum pontificatum est assumptus. Is concilium pro pace ecclesie Rome indictum multis modis conatus est inpedire. Fuit enim vir belli quam pacis<sup>27</sup> cupidior nec religioni affectus nec ocio. Cum Sigismundo tamen cesare apud Laudem Insubrie urbem convenit ac de celebrando Constanciensi concilio

---

21) exoluisset *Hs.*

22) Neapolitanus *Hs.*

23) Pedrus *Hs.*

24) Saonem *Hs.*

25) Neapolitanus *Hs.*

26) Bononium *Hs.*

27) paucis *Hs.*